Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



fecerunt itaq; moyses et aaron sicut preceptit
eis dominus. Erat autem
moyses lxxx annorum et aaron lxxxiii
annorum cum loquerentur ad pharonem. Dixit
autem dominus ad moysen et aaron. Cum
dixerit vobis pharo ostendite signa dicetis
ad aaron. Tolle virgam tuam et proiice
eam coram pharone ut fiat in draconem.
Ingressi itaq; moyses et aaron
ad pharonem fecerunt sicut preceperat dominus.
Tulitq; aaron virgam coram pharone
et seruis eius. que versa est in colubrum. Vocaverunt autem pharo sapientes et maleficos. et fecerunt etiam ipsi per incantationes
egyptiacas et arthana quedam similiter.
Proiecerunt singuli virgas suas. et facte sunt in dracones. et devoravit virga aaron virgas eorum. Induratumq;
est cor pharonis. et non audivit eos sicut
preceperat dominus. Dixit autem dominus
ad moysen. Ingravatum est cor pharonis.
non vult dimittere populum. Vade ad eum
mane. Ecce egredietur ad aquas. et stabis in occursum eius super ripam fluvii.
Virgam quae conversa est in draconem
tolles manu tua. et ibis ad eum. Dominus
deus hebreorum misit me ad te dicens. Dimitte populum meum ut sacrificet mihi
in deserto. Et usq; ad presens audire noluisti. Hec igitur dicit dominus. In hoc
scies quia dominus sum. Ecce ego percutiam
virga quae est in manu mea aquas fluminis. et vertentur in sanguinem. Pisces
quoq; qui sunt in flumine morientur. et putrescent aque. et affligentur egyptii bibentes aquas fluminis.
Dixit quoq; dominus ad moysen. Dic ad
aaron. Tolle virgam et extende manum
tuam super aquas egyptii et super fluvios
eorum et rivos ac paludes et omnes lacus
aquarum. ut vertantur in sanguinem. et sint
cruor in omni terra egyptii. tam in lignis
et in lapidibus. Fecerunt ergo moyses et aaron sicut preceperat eis dominus.
Et elevans aaron virgam percussit
aquas fluminis coram pharone et seruis
eius. que versa est in sanguinem. et pisces
qui erant in flumine mortui sunt. Computruerunt fluvius. et non poterant
egyptii bibere aquas fluminis. et fuit sanguis in omni terra egyptii. Fecerunt quoq;
similiter malefici egyptiorum incantationibus suis. Induratum est cor pharonis.
nec audivit eos sicut preceperat dominus.
Avertitq; se et ingressus est domum suam.
nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes egyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent. Nec
eam poterant bibere de aqua fluminis.
Impletiq; sunt vii dies postquam percussit dominus fluvium.

VIII.

Dixit quoq; dominus ad moysen.
Ingredere ad pharonem et dices
ad eum. Hec dicit dominus.
Dimitte populum meum ut sacrificet
mihi. Sin autem nolueris dimittere.
ecce ego percutiam omnes finiumos tuos ranis. et ebullietet fluvius ranas.
quae ascendent et ingredientur domum
tuam et cubiculum lectuli tui. et super
stratum tuum. in domos seruorum tuorum
et in populum tuum. et in furnos tuos. et in
conspersas olorum tuorum. et ibunt et ad pharonem
tuum. et ad omnes seruos tuos intrabunt rane. Dixitq; dominus ad moysen.
Dic ad aaron. Extende manum tuam
super fluvios egyptii. super rivos et paludes. et educe ranas super terram egyptii.
Extendit aaron manum suam super aquas
egyptii. et ascenderunt rane operueruntq;
terram egyptii. fecerunt autem et malefici
per incantationes suas similiter. educentes
ranas super terram egyptii. Vocaverunt autem moysen et aaron pharo et
dixit eis. Orate dominum ut auferat ranas
a me et a populo meo. et dimittam
populum ut sacrificet domino. Dixit quoq;
moyses pharoni. Constitue mihi cum
deprecer. pro te et pro seruis tuis et pro populo tuo
ut abigantur rane a te et a populo tuo
et a domo tua et a seruis tuis. et tantum
in fluvio remanebunt. Cum rend-